

comunionem. Imperator vero pontificem ad altare
 444 descendentem sequitur et illi in locum subdiaconi
 calicem et patenam cum ostiis offert, deinde aquam
 infundendam in vino, et retrahens se ad partem
 dextram stat usquequo pontifex ad sedem emi-
 nentem communicaturus revertatur, quem imperator
 sequitur et ab eius manibus sacram corporis Chri-
 sti communionem sumit postquam pontifex cum dia-
 cono et subdiacono communicaverint; nam subdia-
 conus postquam cum diacono communicavit de cor-
 pore et sanguine Christi accipit de manu diaconi
 apud altare cum circulis et caerimoniis consuetis
 unam hostiam consecratam pro imperatore et eam
 ad pontificem portat, et percepto sacramento impe-
 rator quidem pontificis faciem osculatur; et de-
 scendente ad altare de manu diaconi vinum puri-
 ficationis sumitur, et postea descendit ad suum
 suggestum, ibique resumit imperialia signa. Poterit
 tamen pontifex, si ei videbitur, super imperatorem
 ante se genuflexum immediate, postquam illum
 communicaverit, infrascriptas orationes dicere, vi-
 delicet: « Respice, quaesumus, omnipotens Deus
 serenis obtutibus hunc gloriosum famulum tuum
 Carolum ut sicut benedixisti Abraham, Ysaac et
 Jacob, sic illi largiaris benedictionem spiritualis
 gratiae, eumque plenitudine tuae potentiae irrigare
 atque perfundere digneris ut tribuas ei de rore
 coeli et de pinguedine terrae abundantiam frumen-
 ti vini et olei et omnium frugum opulentiam et
 ex largitate divini muneris longaeva tempora ut
 illo regnante sanitas corporis, Imperii pax invio-
 lata sit in regno et dignitas gloriosa regalis pa-
 latii maximo splendore regiae potestatis oculis
 omnium fulgeat luceque clarissima coruscare atque
 splendere quasi splendidissimi fulgoris maximo
 perfusa lumine videatur, tribue ei, omnipotens Deus,
 ut fortissimus protector et consolator ecclesia-
 rum atque caenobiorum sanctorum maximae pie-
 tatis regalis munificentiae atque ut sit fortissimus
 triumphator hostium ad opprimendas rebelles et
 paganas nationes, sitque suis inimicis facie terri-
 bilis maxima fortitudine regalis potentiae, optimati-
 bus quoque ac praecelsis proceribus et fidelibus
 sui regni sit munificus amabilis et pius, et ab om-
 nibus timeatur et diligatur, et post gloriosa tem-
 pora atque felicia vitae praesentis gaudia in per-
 petua beatitudine habitare mereatur. Per dominum
 nostrum Jesum Christum etc. ».

444* « Benedic, quaesumus, Domine, hunc principem
 nostrum Carolum, quem ad salutem populi nobis
 a te credimus esse concessum, fac annis esse mul-

imperator communicatur a pontifice

Oratio papae post communionem imperatoris